



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 7. Parochus tenetur de more facere professionem fidei coram
Episcopo aut saltem ejus Vicario intra duos menses à die adeptæ
possessionis: Quæritur, an si professionem illam omittat, incurrat ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

QUÆSTIO VI.

An in Parochialibus juspatronatus Laicorum requiratur examen per concursum, unius aut plurium qui præsentantur?

Respondeo negativè, dum tantum unus præsentatur, sed tantum examinandus est ab Ordinario, & si fuerit capax admittendus. Patet ex Tridentino sess. 24. cap. 18. his verbis. Quod si juspatronatus Laicorum fuerit, debet qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit admitti. Ubi de requirendo concursu non fit mentio.

Quod si plures fuerint præsentati, tunc requiritur examen per concursum inter solos præsentatos. Sic expressè censuit Congreg. Concilij, apud Garciam, de Benef. part. 9. cap. 2. n. 256. affert etiam decisionem Rotæ 30. Junij 1587.

QUÆSTIO VII.

Parochus tenetur de more facere Professionem fidei coram Episcopo aut saltem ejus Vicario intra duos menses à die adeptæ possessionis. Quæritur, an si professionem illam omittat, incurrat penam amissionis fructuum?

Respondeo affirmativè, ex præscripto Conc. Tridentini sess. 14. de reform. cap. 12.

Quæritur 2. an Ordinarius possit illi condonare fructus sic amissos?

Resp. negativè, Quia Ordinarius non potest dispensare in decretis Concilij, nisi in casibus sibi expressè permissis.

QUÆS.